

non modo ovem perditam, sed et drachmam requirat: nec vulpes solum annosas, sed et parvulas capiat; quia ex parvis magnæ fiunt. « Si certare statuisti, ait Isychius presbyter, lib. de temper. et virt. ad Theob. cap. 1. imitandum tibi propone exiguum animalculum, nempe araneam. Illa quidem minutas venatur muscas: quod si tu eodem exemplo, labore quietem animi comparare volueris, irremisse pueros interfice; quomodo Beata Paula Romana leviam etiam peccata planxit: *Ut illam gravissimorum criminum crederes ream*, inquit S. Hieronymus, in epist. ad Eustochium.

CONCIO III.

QUARE GAUDEANT ANGELI IN CONVERSIONE PECCATORIS.

I. Propter Deum, in cujus gloriam omnia refundunt. — II. Propter Christum, cui congratulantur captam prædam. — III. Propter semetipsos. — IV. Propter pœnitentes. — V. Propter cacodæmones.

THEMA.

Gaudium erit in cœlo coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. XV.

Miro fortunæ lusu evecum ad imperatoris supremam dignitatem fuisse Claudium scribit Suetonius, et Josephus libro, XIX. antiq. capite II. Cum enim post necem Cæii Caligulæ omnia Romæ turbarentur, et seditionibus plena essent, ita ut nobilissimi quique in periculo vitæ versarentur, inter eos Claudius nobilitate facile primus, sese in aditum contulit locum, ne forte a tumultuantibus militibus deprehensus ad necem raperetur. Sed en, dum in solarium semel prodiit, velo tamen abductum, pedum indicio a milite, Grato nomine, conspectus, apprehensus et productus est, pavore et mortis metu adeo consternatus, ut ad genua ejus procidens, vitam sibi donari precaretur, denique præ timore stare in pedibus nequiret. Sed en, dum is mortem expectat, Cæsar ab eodem milite salutatur, et a sociis in castra defertur, tremens adhuc et dubius inter spem et metum; delatus a militibus imperator conclamatur, et Cæsareis ornamentis indutus per urbem circumducitur. Quod hic Claudius metuit, jure sibi metuere possit quivis peccator, se nimirum quæri a Deo ad necem et supplicium velut reum læsæ divinæ majestatis. Sed deponite metum et e contra bono animo estote, quicumque tales rei et peccatores estis. Ecce enim Dei Filium in hodierno evangelio vos undique quærentem, non ut laniet et mactet, sed ut errantes redu-

cat, repertos in humeros suos imponat, impositos ad cœlum, in castra angelorum gestet, ibi vos in reges cœli evehat, et in vestri gratiam publicæ lætitiæ solemnitate in cœlo ss. angelis indicat. Quis hæc audiens non excitetur, et ad pœnitentiam actorum agendam non estimuletur? Sed forsitan dicent aliqui: Quæ ratio est, cur angeli lætentur in conversione peccatorum? Audiamus.

I. Gaudent et gratulantur sibi propter Deum, in quem velut in fontem honorum omnium omnia refundunt. Norunt enim Deum esse amatorem animarum, pro quibus requirendis miserit de cœlo Filium suum: et ex altera parte summe Deum amant, plusquam seipsos; hinc gaudent quando vident converti peccatorem, quia vident impleri desiderium Dei sui. Certe Dominus, quando Matthæi XVIII. hanc eandem de ove perditam et inventam proposuit parabolam, dixissetque gaudere eum, qui invenit ovem suam, subjunxit: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*, quasi dicat: Sic Deus non vult, ut pereat ipsi vel unus etiam minimus et abjectissimus homo; imo simili modo gaudet de ejus respicientia. Quæ res adeo clara est, ut in dubium revocari nequeat. Quis enim pater non gaudet, quando videt filium, in cujus educationem, instructionem, promotionem tot curas et impensas contulit, moribus integerrimum, scientiis excultissimum, victoriis inclytum, reipublicæ utilissimum, et omnibus gratissimum? Vicissim non dolet si videt, omnem suam industriam, spem et laborem in filio periisse? Quod si tamen post hæc filius diceretur se totum immutasse, errores suos agnoscere, et ad voluntatem patris se adeo accommodasse, ut nihil amplius ab eo desiderari posset: nonne maximo gaudio perfunderetur pater? Ita sane docet parabola filii prodigi, quem ad frugem conversum summo gaudio excepit pater. Quid? Nonne gaudent et gloriantur homines, quando sua industria plantarunt sibi arbores frugiferas, videntque eas fructus afferre plurimos, vel gratissimam in æstu umbram dare? Quomodo ergo non placeat Domino Deo adeoque gaudium afferat, si videat hominem, propter quem tanta fecit, cœlum et terram, et quæ in eis sunt, creavit; Filium suum in terras misit; angelos ei custodes dedit parentes, præceptores, pædagogos; pastores addidit, ut hæredem regni sui constitueret; si, inquam, videat eum sibi per omnia morigerum, virtutibus excultum, mundi ornamentum adeoque cœlo dignum? Profecto Deus, cum vidit homines plane perversos, tactus dolore cordis intrinsecus delevit homines de terra per diluvium, et cum eis omnia bene animan-

tia, adeoque tam præclaram mundi fabricam plane evertit et confregit: consequens igitur est, ut tantumdem sibi complacere, si videat homines esse tales, quales ipse quærit et desiderat, morem sibi gerentes: tametsi forte prius aliquando sensit sibi rebelles. Jam ergo si Deus gaudet super uno tali homine, ad frugem reducto, hinc necessario consequitur exhilarari omnes angelos totamque cœli aulam: quæ Deo regi suo ita addicta est, ut ipsius bonum habeat pro suo, gaudium ipsius sit gaudium ipsorum; ita ut gaudere nequeant, ipso non gaudente; non possint non lætari, ipso exultante. Tota exhilaratur familia, cum hilarem videt patremfamilias: ita omnes angeli gaudent gaudente Deo suo super uno pœnitente. Quando nuntiatum et vulgatum fuit in aula Pharaonis, venisse fratres Josephi: *Gavisus est Pharaon*, inquit Scriptura, *atque omnis familia ejus*, Genesis XLV. versu XVI. quia nimirum aula regis quasi ejus corpus est; unde exhilaratur exhilarato capite. Sic et aula cœlestis quomodo exultet exultante Rege Deo suo in adventu et reversione pœnitentium? Flores, quia omnem suum vigorem a sole accipiunt, cum eo oriente se aperiunt et quasi oriuntur, cum occidente claudunt et quodammodo occidunt: sic per omnia cœlestis aula Deo se conformat, qui ab ejus influxu et gratia tota dependet.

II. Propter Christum Dominum, cui congratulantur captam ab ipso prædam, tot laboribus quæsitam. Atque huc proprie tendit gaudium angelorum, de quo Dominus in hodierno evangelio ait: *Veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, etc.* In quem locum venerabilis Beda scribit: « Inventa ove domum redit, quia pastor noster reparato homine ad regnum cœlestis rediit. Ibi amicos et vicinos invenit, illos scilicet angelorum choros, qui amici ejus sunt, qui voluntatem ejus continuo in sua stabilitate custodiunt. Vicini quoque ejus sunt, quia claritate visionis illius sua assiduitate perfruuntur. » Optime etiam Haymo in eundem locum: *Amicos ac vicinos dicit angelos, amicos tamquam illi propinquos.* Quia enim ss. angeli Christum summo amore diligunt, consequenter etiam cum eo gaudent, cum gaudere ipsum vident, et diligunt eos, quo ipse diligit. *Dicitur, ergo, inquit Sanctus Bernardus, sermone de Sancto Michaeli proverbiali verbo: Qui me amat, amat et canem meum: nos vero o beati angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis.* Qua de causa etiam, ut supra tetigimus, cum vulgatum esset in aula Pharaonis, venisse fratres

Josephi, gavisus est Pharaon et omnis familia ejus, Genesis XLV. quia scilicet Josephum summe adamarunt, ideo et fratres ejus; eorumque adventu summe lætati sunt. Jam vero gaudium inventæ ovis, suum esse potius indicat Dominus, quam ovis. Propterea: « Notandum, subdit Beda loco citato, quod non dicat: Congratulamini ovi inventæ, sed: Mihi; quia videlicet ejus est gaudium vita nostra, et cum ad cœlum reducimur, solemnitate lætitiæ illius implemus. » Congaudebunt igitur gaudenti Christo omnes ejus angeli, quia de ejus familia sunt, et quos ille diligit, non possunt non diligere: gaudet agricola, quando ex agris suis multo labore a se clausis copiosam messem colligit: sed et servi ejus, quando domino suo tam uberes fruges demetunt, quia et ipsi suas inde placentas comedunt: gaudet princeps quod tot excursionibus, retium expansionibus, jaculis et clamoribus feram aliquam cepit; quam etiam depingi curat, et ad principes alios transmittit; neque tamen solus, sed et venatores gaudent, quia ex venatione illa statutam suam portionem accipiunt: denique, gaudet dux militiæ, qui multis machinis et molitionibus hostilem aliquam munitionem in suam redegit potestatem; sed gaudent etiam ministri ejus cæterique milites. Quidni igitur gaudeant cum Christo ss. angeli et totis animis gratulentur ei messem peccatorum, in horreum ejus devectam? Feras tanto sudore captas? hostes edomitos? Angeli, inquam, qui sunt ejus quasi messorum, catelli venatorii, milites et ministri; ipsi enim sunt, qui Christi incarnationem, nativitatem, resurrectionem, ingressum denique in cœlum hominibus nuntiarunt: ipsi Christo in deserto esurienti, in monte Oliveti oranti atque agonizanti, et procul dubio alibi etiam frequenter ministrarunt: ipsi Ecclesiæ defensores, nostri custodes, denique in fine mundi velut Christi messorum congregabunt electos, et deferent in ejus horreum: congaudent igitur Domino suo, cujus gratia et amore omnia illa præstant summa delectatione. Quare non immerito ipsis applicari potest, quod Isa. VII. dicitur de electis omnibus: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Quod si lætantur messorum, multo magis ipse Dominus, cui illi metunt. Unde Origenes, hom. XXIII. in Num. « Agit festum Christus, inquit, qui pro salute nostra sanguinem fudit, cum videt prodesse, quod se humiliavit, factus obediens usque ad mortem: agit festum Spiritus Sanctus cum his, qui convertantur, videns sibi templa parari. »

III. Propter semetipsos, primo, quia per con-

versionem peccatorum augetur adeoque exornatur eorum numerus : quoad Dei laudes concinendas potentiores fiunt. Ita Origenes, homil. XXIII. in Num. cit. *Lætentur angeli*, inquit (in conversione peccatoris) *ad quorum festivitatem accedunt conversi*. Præcipuum angelorum munus, conatus et intentio summaque delectatio est, ut quam maxime possunt, Deum collaudent ; quod ut potentius præsentent, etiam in terra homines ad hoc extimulant ; uti patet ex Raphaelae, qui utrumque Tobiam adhortans ait : *Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam* : et rursus : *Ipsam benedicite et cantate illi*, Tob. XII. quo modo philomeleæ cantu mire delectatæ provocant suis modulis alias ad cantandum et respondendum. Ita legitur in commentario virorum illustrium ord. Cisterc. S. Bernardum aliquando vidisse, dum hymnus *Te Deum laudamus* cantaretur, beatos angelos multa claritate fulgentes, mira vultus alacritate gestientes, utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modo illum, ad pie ardentem et cum debita mora hymnum illum, quasi ipsis familiarem, decantantum excitasse atque animasse. Ipsi etiam Ecclesiam docuerunt more suo psallere in templo, ut testatur Socrates, lib. VI. c. XXXVI. « Dicendum autem et hoc, inquit, undò consuetudo responsorium hymnorum in Ecclesia initium cepit. Ignatius Antiochiæ Syriae, tertius ab apostolo Petro episcopus, una cum apostolis aliquando conversatus, versionem angelorum per responsorios hymnos S. Triadem laudantium vidit, et modum et visionis Antiochenæ Ecclesie tradidit : unde et ad omnes Ecclesias ista traditio manavit. Et hæc est ratio hymnorum responsorium, » qui nimirum alterne canuntur, ut fit in choro. Desiderant ergo ss. angeli et quidem summis votis, uti quemadmodum ipsi in cælo semper laudant Deum (ut patet ex Apoc. IV. § VIII. et V. § XIII) ita et nos quasi angeli terrestres eundem laudemus in terris ac demum una cum ipsi etiam in cælis. Quod cum fieri, saltem inchoata, in conversione peccatoris vident, maximopere inde gaudent.

Secundo, quia sic restaurantur in cælo ruinæ, dæmonum lapsu causatæ, et replentur sedes ab ipsis desertæ. Omnia creavit Deus : *Disposuit in mensura, et numero, et pondere*, Sap. XI. consequenter etiam angelos in tali numero, qui cælestem regiam decebat atque ornabat. Quia vero quam plurimi perduelles facti numerum illum imminuerunt, adeoque decentem illum ornatum in angelorum numero vitiant, hinc conicere licet, reliquis illis sanctis displicuisse hanc rupturam, quod pulcherrimam

illam et omnibus numeris perfectam laudis symmetriam ex parte imminuerit : quo modo symphonie suos decor aufertur, cum requisita aliæ voces aut instrumenta desiderantur. Quando igitur advertunt e terra adventare musicos, et quidem præcellentes, qui derelictas illas voces laudibus suis compleant, adeoque symmetriam illam desideratam in integrum restituant, hæc res ss. angelis ineffabile gaudium parit, ut qui ad hoc creati, totique intenti sunt, ut Dei laudes celebrent quanto maxime conatu possunt. Ita exultant milites, cum defectum sui exercitus clade aliqua causatum, per alium subsidiarium militem resarciri vident. Sic gaudemus nos, quando integram nationem, vel unum etiam doctrina aut nobilitate celebrem virum ab hæresi vel infidelitate converti ad fidem cernimus vel audimus. Sic exhilaravit apostolos Matthias loco Judæ electus : quadraginta martyres sub Licinio custos pro deserto uno se substituens ipsisque adiungens, apud Sanctum Basilium, orat. in quadraginta mart. Atque in hunc sensum angelorum gaudium explicat Origenes, homil. XIII. in Numer. *Agunt, inquit, angeli diem festum lætantes super iis, qui refugientes consortia dæmonum per exercitiâ virtutum angelicis se festinant sociare consortiis*.

IV. Propter pœnitentes. Primo, quia ut ait Euthymius, in hod. evang. *Benigni sunt erga homines, et amant eos, in quibus Dei similitudinem, adeoque etiam suam cernunt, velut sibi cognatos ; qui si ad Deum convertantur, fiunt omnino ei similes, adeoque fratres, ejusdem hæreditatis participes, eodem gratiæ vestitu insignes*. Scimus similitudinem causam esse amoris, amorem vero gaudii : quid mirum ergo gaudere angelos, quoties acquirunt novum aliquem fratrem, sui amantissimum ; si etiam inter homines id fieri videmus, cum vel societates et fœdera inter aliquos contrahuntur, vel per connubia affinitates et fraternitates. Tale gaudium concepit Sancta Cæcilia, quando sponsi sui Valeriani fratrem Tiburtium diis abrenuntiantem, et Deum verum audiit confidentem : *Mox enim deosculata est ejus pectus et dixit : Revera hodie confiteor te esse plane meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit esse meum conjugem : ita et simulacrorum contemptio fecit te meum esse fratrem*, ita in vita S. Cæciliæ Metaphrastes, apud Sur. 22. novemb. Quemadmodum ergo Tiburtius ex affine per conversionem factus est Cæciliæ frater, velut eadem Dei fide et gratia condecoratus : ita ss. angeli pœnitentes ex cognatis secundum naturam, recipiunt in fratres secundum Dei gratiam. Hinc tanto magis crescit eorum gaudium,

quanto major est amor fratrum quam affinium, vel remote cognatorum.

Secundo, quia vident sua industria : (*Omnes enim sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ad Hebr. 1.*) ad frugem reductos. Aspiciunt enim illos velut filios suos et ipsi suo modo in Domino genuerunt, præservando a malo et dirigendo ad bonum. Sic gratulatur sibi hortulanus cernens arbores, manu sua plantatas, tandem, etsi sero, fructus ferre optatos : sic magister cum advertit juvenem evadere in virum reip. utilem, quem suo labore excoluit : sic lætati sunt fideles congregati in domo Mariæ, cum viderunt Petrum, suis æque ac reliquæ Ecclesie præcibus, ereptum e custodia Herodis, noctu adventantem, Act. XII. Viso enim eo Rhode puella præ gaudio, non aperuit statim ostium ; ipsi postea tantopere in jubiliu extulere voces, ut manu eis silentium indicere. Petrus debuerit, ut advertit ibi glossa § XVII. Hanc denique ob causam Sanctus Paulus appellat Philippenses : *Gaudium et coronam suam*, ad Philip. IV. § 1. videns a se conversos crescere in fide et virtutibus, quod ipsi maximum gaudium et quasi regiam coronam afferebat. Cum tali gaudio et corona visus est B. Adelgundi S. Amandus episcopus Trajectensis, cinctus corona plurimorum albatorum ascendere in cælum. Cum enim quisnam esset requireret, responsum accepit ab angelo : « Vir Dei Amandus migravit e sæculo, et quia sacerdos in vita extitit dignus et tam gloriosus, nunc ad gaudia sui Domini pertransiit. Turba autem, quam vides, albatorum, hi sunt, qui per instantiam prædicationis ipsius ad exemplum tanti magistri feliciter informati, digni Deo et sanctorum claritate judicantur ascribi cælestibus. Quibus pro eo, quod pastor bonus extitit, et idoneus in regno sanctorum et terra viventium super eos princeps in æternum apparebit modis omnibus gratosus, » ita Baudemundus, in ejus vita, apud Sur. 6. febr.

V. Propter cacodæmones, quibus velut hostibus suis capitalibus præda nobilis erepta est, maximo illorum dolore et confusione, cum peccator aliquis reversus est ad Deum de Christo Domino, quando superciliosum archisynagogum, ex invidia obstrepentem manifesto miraculo, paucis verbis repressit, ait S. Lucas, c. XIII. *Et cum hæc diceret, erubescerant omnes adversarii ejus, et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo*. Dæmonis e schola prodierat is princeps, et magistri sui malitiam probe referebat, quando ergo pœnitens sua confessione os dæmoni ocludit, applaudit vincenti tota angelorum cohors, quo-

modo Apoc. XII. lætati sunt omnes cœlites et laudarunt Deum, cum viderent quod abjectus esset draco in terram, dicentes : *Nunc facta est salus et virtus, etc. quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, homines videlicet justos*. Quoties ergo respiscit peccator, toties posternit superbum illum draconem, indeque jucundissimum præbet angelis spectaculum, quale edidit regi Sauli et universo Hebræorum populo David, quando superbum et jactabundum illum vastumque Goliathum, ipse inermis et militiæ inexpertus lapide uno stravit, et proprio ejus gladio decollavit. Inde enim exhilaratus est rex Saul, uti in memoriam ei Jonathas revocat verbo illo : *Vidisti et lætatus es*, 1. Reg. XIX. exultavit universa Judæa, quando : *Egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel cantantes, chorosque ducentes et cantantes : Percussit Saul mille, et David decem millia*, 1. Reg. XVIII. Nihilominus recreantur et applaudunt ss. angeli et quasi epiniciu cantantes obviant pœnitenti, cum ipse alioquin imbecillis et pumilio respectu cacodæmonis, triumphat de ipso. Certe exhilaramur nos catholici, quando audimus Ecclesie hostes a quocumque, qui a parte nostra stet, esse depressos, tametsi nos ipsi minime pugnaverimus : quis dubitat hoc idem fieri in cælo, cum hostis omnium cælum debellatur et confunditur ?

Perspectis igitur tot rationibus, quibus exhilarantur angeli, imò totum cælum ex conversione vel unius peccatoris, videat jam peccator, quanto bono afficere, non jam dico se, sed ipsum cælum possit, si reverti ad Deum velit ; omnes enim cælum chorus gaudio replebit. Proh quantus est hic stimulus festinandi ad pœnitentiam ! Inter magna Raphaelis beneficia, sibi et suis collata recenset Tobias et hoc, quod conjugis suæ parentibus gaudium creavit, dum ab insidiis dæmonum eam liberavit, Tob. XII. Prædicabunt etiam in cælo et summis laudibus extollent ss. angeli peccatorem, si agendo pœnitentiam, excitarit ipsi gaudium. Vicissim si nil aliud esset, quod gehenna dignum faceret ; vel hoc unum esset quod cum facile posset, cælum lætificare nollet. Bene advertit hoc S. Ambrosius, in hod. evangelium scribens : « Hoc quoque, inquit, proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat cœlitibus angelorum, quorum aut effectare patrociniu, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo. »

CONCIO IV.

QUA RATIONE SIT GAUDIUM IN COELO DE UNO POENITENTE
QUAM DE NONAGINTA NOYEM JUSTIS.

I. Propter rei optatam novam accessionem. — II. Quia lapsi poenitentes fere fortiores resurgunt. — III. Quia de præda majori labore parta. — IV. Quia jucundius Deo spectaculum.

THEMA.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore, poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia.
Luc. XV.

Nescio annon nemo objectare Christo Domino posset, quod objecit olim Joab regi Davidi, interitum Absalonis filii inconsolabiliter deploranti, II. Reg. *Diligis odientes te, et odio habes diligentes te, q. d. videris o rex, magis amare rebellem et infensum tibi filium, quam nos amicos et fideles serves tuos; dum stragem et mortem ejus deplas, cujus vita et victoria, nostra fuisset mors et strages.* Posset, inquam, forsitan hoc aliquis objicere Salvatori nostro, cum audit in hodierno evangelio, reliquisse eum in deserto nonaginta novem oves, periculis expositas, et abisse ad requirendam unam ovem perditam, sua culpa exerrantem. Quid enim hoc sibi vult, quod unum peccatorem improbum, temerarium, rebellem Patri suo, qualis erat Absalon, tanto labore quærat; interim ss. angelos, vel etiam homines justos deserat, sibi amicos et fideles ac per omnia morigeros? Cur lacrymas alio tempore effundit super civitatem Jerusalem, sibi tam infensam tamque perduellem, obstinatam et cæcatam: interim justos, amicos suos gemere permittit in paupertate, nuditate, tribulatione et persecutione? Quid hoc videtur aliud, quam diligere odientes se et odio habere diligentes se? Verum auditores etsi res hæc mira et stupenda est, Dei tamen clementiam, amorem et benevolentiam erga miseros et aberrantes peccatores adeo deprædicat, ut cum a nobis auditur, omnes una simul in facies nostras cadere et cum apostolo Paulo dicere debeamus: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 1. Timoth. 1.* Ostendit ergo in hodiernis parabolis suum de converso peccatore gaudium, certa ratione majus esse, quam quod de justis habet: hoc vero quam verum sit, nec una de causa nunc, exponemus.

I. Majus est hoc gaudium propter rei optatam novam accessionem quæ parit novum et actuale gaudium, quod prius in possessa fuit quasi antiquum et habituale tantum. Ita enim comparat sumus. ut bonis recenter acquisitis multo magis

delectemur quam diu jam in potestate habitis. Multis hoc exemplis ostendit S. Augustinus, lib. VIII. confess. cap. III. velut ægri filii, qui cum desperata valetudine sanitati restituitur, majus in domo paterna excitat gaudium, quam fuerit in ea prius cum sanus esset: quo modo procul omni dubio in domo reguli postquam insperato et subito filius morti proximus convalescit ingens orta est lætitia ob quam servi domino suo, obviam missi sunt, ut quamprimum currerent et nuntiarent illi hoc gaudium, Joan. IV. Sit filius alius cum parentibus multo tempore in domo paterna, nunquam aliquo lætitiæ signo excipietur a parentibus, si forte ex paterna vinea vel agro, vel a foro revertatur in domum, nullum ei convivium instruant parentes. Verum abeat procul ad terras externas, et post multos annos revertatur in domum patriam, postquam ejus reditus ferme desperatus fuit; videbis quanto plausu, gratulatione et lætitia filius excipietur; quam solemne convivium ipsi appareatur. Ita factum cum Tobia juniore, qui dum in patris domo hæreret, nihil insueti gaudii movebat parentibus: quinimo adeo illis curæ non erat, ut eo uterentur pro tabellario, emittendo foras in longinquam regionem pro repetenda non magna pecunia. Ad vero ubi ille diu valde abfuit, adeo ut de ejus reditu fluctuarent jam parentes, dum filius dilectus tanto tempore non comparet; jam tunc illi agnoscere, quanto se solatio privarint, nihilque aliud cogitare quam filii reditum cæperunt, Qui ubi tantum reversus est, indicibile gaudium in domo excitavit: mater ejus a longe filio reduce conspecto: *Currens nuntiavit viro suo dicens: Ecce venit filius tuus. Consurgens cæcus pater ejus cepit offendens pedibus currere, et data manu puero, occurrit filio suo;* quin et ipse canis quoque: *Qui simul venerat, in via præcurrit, et quasi nuntius adventus, blandimento suæ caudæ gaudebat, ut habet sacer textus, Tob. XI.* Denique: *Amplius, inquit S. Augustinus loco citato, animi delectatur inventis aut redditis rebus, quas diligit: quam si eas semper habuisset.* Quis dubitat viduam, matrem filii unici defuncti, postquam eum Dominus a morte suscitavit et restituit matri suæ, centies plus gaudii in animo sensisse, quam senserit prius cum bene valentem et viventem in sua domo cerneret? Propterea Dominus in parabola de filio prodigo, quam hod. duabus subjiicit, causam gaudii paterni de reverso filio hanc adducit fratri ejus: *Gaudere te oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* Quando igitur peccator, in servitute dæmonis constitutus æternæ perditioni, proximo, adeoque jam pene depositus, insperato respicit et abrumpit vincula, reditque ad creatorem et

patrem suum, quid mirum si in caelo novum et insolitum excitetur gaudium, adeoque majus, quam haberi soleat de iis, qui nunquam perierunt? Hinc igitur apparet, quam ultro et sapienti consilio permittat subinde Deus aliquos collabi: quo nimirum ex eorum resurrectione novum et insuetum tam ipsi quam toti caelo reparatur gaudium. Bene igitur D. Ambrosius, in apol. David, c. II. ait: *Beatus ille, qui se potuerit reparare post lapsum, quoniam post mortem quoque resurgere manus beatorum est.* Quare sicut resurrectio electorum in die judicii incomparabile et ipsis et toti caelo afferet gaudium: ita et resipiscencia poenitentis quæ futuram illam lætitiæ jam quasi inchoat.

II. Majus gaudium est, quia lapsi per poenitentiam fortiores sæpe resurgunt, quam fuerint prius, vel sint alii nunquam lapsi. Ita hoc gaudium explicat Sanctus Gregorius, in hom. super hodiernum evangelium, quæ est XXXIV. « Considerandum est, inquit, fratres mei, cur Dominus plus de conversis peccatoribus quam de stantibus justis caelo gaudium esse fateatur. Unde hoc, nisi quod ipsi per quotidianum visionis experimentum novimus, quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem gratiam anxie non anhelant: et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia securi sibi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt. Et quia errasse se a Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant. Majus ergo gaudium fit in caelo, quia ut dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam eum, qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter fecit; sic agricola illam amplius terram amat quæ post spinas uberes fructus profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem producit. » Ita Sanctus Gregorius. Hoc idem amplius declarat Haymo episcopus Halberstald. in hodiernum evangelium his verbis: « Sunt nonnulli, qui post adulteria, post falsa testimonia, post cætera facinora peccata, convertuntur ad poenitiæ lamentum, carne et vino se abstinent, linum deponunt, pompas istius sæculi relinquunt, secreta monasterii petunt: et in omni oratione ac jejuniis et vigiliis observantia acriter se affligunt, ut veniam a Deo consequi mereantur. E contra sunt justis, qui valde securi sunt, quia nulla peccata graviora se commississe recognoscunt, et ideo anxie ad patriam cælestem non anhelant,

etc. » Typum hujus rei cernimus in Petro et Joanne piscantibus in mari Tiberiadis. Joannes Christum ad littus stantem prior agnovit, Petrus posterior: et tamen ad Christum prior pervenit, quia præ nimio Christi desiderio et amore se in mare coniecit et natando ad eum contendit; Joannes in navigio hærens posterior advenit: Petrus, qui paulo ante negaverat, sed culpam acriter defleverat, lapsum poenitentem designat; Joannes, qui non deliquerat, justum in Dei gratia stantem. Sæpe igitur lapsus adeo fortiter resurgit et ad Christum totis viribus contendit, ad cælum quoque anhelat, ut multis parasangis antevertat eos, qui nunquam ceciderunt. Patet hoc in plurimis, Petro, Paulo, Magdalena, Pelagia, Maria Ægyptiaca, Guilielmo et aliis. Certe etiam ipsi ss. angeli ob mundi creationem talia ac tanta lætitiæ indicia nequaquam ediderunt, atque in mundi reparatione et redemptione. Ibi enim in conclavi cæli solum Deo congratulati sunt, juxta id Job. XXXVIII. *Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* h. e. angeli, ut exponit S. Hieronymus. At in mundi reparatione prodierunt foras et cecinerunt carmen: *Gloria in excelsis Deo*, apparuerunt in vestibus albis et festivis, nuntiantes Christi resurrectionem et in cælum ingressum, etc. quæ re satis declararunt plus sibi gaudii accessisse ex mundo reparato quam creato: ex novæ legis poenitentibus, quam ex justis veteris legis torpentibus.

III. Majus gaudium est, quia de præda multo et majori labore parta. Propter peccatores enim, qui non ex aliena et originali culpa, sed ex propria et actuali lapsi sunt, potissimum Dei Filius in mundum venit tantumque in satisfactione excessum fecit, ut non quocumque opere sed pœnali, non uno sed compluribus doloribus, non levibus sed atrocissimis tormentis, non qualicumque sed morte crucis peccata eorum redimeret: quod pro justis opus non erat. Unde per Isaiam, cap. XLIII § XXIV. protestatur ad populum: *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis;* Complutensis editio legit: *Pro scuto me opposui iniquitatibus tuis, q. d. velut scutum omnes ictus a divina justitia in te vibratos ob peccata tua, ego in me suscepi: solemus vero ea, quæ majori labore et difficultate acquisivimus, pluris æstimare et magis amare.* Patet ex patriarchæ Jacob testamento, qui filio suo Joseph dilectissimo et de se suisque omnium optime merito, dedit partem unam peculiarem, agrum videlicet Sichem seu Sichar, velut majori in pretio a se habitum, quia eum primo pecunia emit ab Hemor, Gen. XXXIII. vers. XIX. postea ab Amorrhæis occupatum (uti valde proba-